370 167



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

MEDECINE DE PARIS BIBLIOTHÈQUE

QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis decimâ-septimâ Februarii, anno Domini M. DCC. LXXXIX.

M^e. PETRO BERCHER, Doctore Medico, Præside.

An imaginatio in Physicum agere valeat & vicissim?

I.

HUIC enodandæ quæstioni præmittere juvat definitionem imaginationis quam ut apprimè cognoscere sic definire perarduum est: si plerosque persolveris libros, vix quidquam, præter immensam definitionum sese mutuò oppugnantium farraginem reportabis, nec facile erat id vitium fugere, cùm plures auctores omni vento doctrinæ agitati vix intellexerint quid imaginationis nomine audiendum sit?

C 36

Quidam eam confundunt cum ingenio, alii cum memoriâ, cum attentione: eorum igitur elucubrationes quas hìc referre longius foret, omittentes, ne tempus adeò pretiosum terere videamur, breviter exarare conabimur, 1°. quid sit imaginatio, 2°. memoria, 3°. ingenium, 4°. attentio?

Est autem imaginatio facultas quæ res exteriores atque absentes, tanquam præsentes nobis sistit, idque organo spirituum animalium qui vestigia in cerebro ab objectis visis priùs impressa, refricant. Nec tantùm objecta absentia nuda & qualia sunt nobis sistit, verùm etiam multiplicat ac conjungit, quæ aut pauca, aut separatim visa sunt, vel dividit quæ conjunctìm objecta fuerunt.

Sive sponte, sive ex animæ voluntate rerum vestigia animæ repræsentantur; dicitur *memoria*, quando signa revocantur, & *imaginatio*, quando ipsæ sensationes renovantur. Alii homines signorum memoriâ pollent (1), miramque possident nominum repetendorum facultatem; alii imaginatione vividâ excellunt, ut sensationes vetustas penè æquè valentes sibi repræsentent, ac quidem fuerunt cum primùm sensorio organo se offerrent. Illud eruditos viros facit, hoc Poëtas, Pictores, &c. Est autem signorum repræsentatio debilior, & minoris efficaciæ quàm imaginum (2), & repræsentatio, quæ fit à memoriâ, debilior est in sano homine, quàm sensatio quæ nunc à corpore sensus nostros feriente excitatur.

Potest autem imaginatio ità vividè sensationem repræsentare, ut à præsenti corporis impressione distingui nequeat.

Si validissimum fuerit sensationis vestigium, poterit sensationem æquare robore, & perindè pro verâ haberi externi objecti impressione, ac quidem ejus modi impressio per sensus allata pro verâ habetur.

In distinguendis idæis *judicium*, in his uniendis ponitur *ingenium*. Primum comparat ideæas, ideò lentius. Alterum requirit majorem in idæis coram animâ apparentibus celeritatem, summùm ingenium Cæsaris fuit qui quatuor Amanuensibus (3) Epistolas dictaret, & etiam septenis, quoties ab alio labore vacabat.

Velox est ingenium neque lento examine notiones omnes expandit, ut earum discrimina inveniat. Ingenium igitur est summus facultatum intellectûs gradus.

(1) Signa quidem ex solâ idearum associatione nascuntur, & per repetitionem memoriæ imprimuntur.

(2) Condillac (Logique de) p. 55.

(3) Plinius, lib. 7, cap. 25.

Longiori temporis intervallo sistit intellectus circa unum idemque objectum, & hæc est attentio quæ validè agit in physicum, uti infrà exponemus.

Imaginationis agendi modum exponere nostri non est instituti, magna namque & supra vires conaremur, rimari necesse foret quomodò anima supra corpus agere possit, quod solus Deus cognoscit. Hinc facultatis hujus effectus varios tantummodò evolvere satagemus, 1°. in corpus sanum, 2°. in ægrotum.

I I.

DIVIDITUR imaginatio in sanam vel naturalem & ægram, sive præternaturalem. Utriusque quanta sit in physicum potentia, testantur variorum effectuum indè dependentium observationes: illas mittendo quas in medium protulerunt Fienus & plures alii qui circa formationem fœtûs tractatus integros scripserunt, & cujus miraculi nodum rupisse non solvisse videtur Galliarum Plinius (1).

Nonne experientiâ constat animi pathemata in physicum agere? Vividiora circulationem augent. Ira violenter exagitat omnes humores, sanguis ad peripheriam corporis validiùs pellitur: hinc facies rubescit, oculi prominent, pulsus celerrimus, cerebrum obruitur, incitato sanguinis ictu, indè apoplexia, insania, mors subita uti testantur plures observatores. Iram meritò representant Seneca & Plutarchus tanquam alteram megeram furiosissimam, truculentissimam, audacîssimam, crudelissimam, ac summè omnibus terribilem (2).

Gaudii violentior est affectus, modicam tamen cordis palpitationem (3) facit, ruborem faciei, calorem, perspirationem auctam, lacrymas cum sensu mirifico tenerrimi adjuncti, & exoptati doloris, febrem (4) acutam, si maximum & subitissimum fuerit, & delIquia animi, subitasque demùm mortes (5).

Amor ipse sanguinem incitat, pulsum accelerat cum inæqualite; sic olim Antiochi amor ex pulsu detectus legitur. Vehementior & propior possessioni summum calorem, palpitationem, ruborem, robur, penè cum tremore, & sensum

(1) Hist. Nat. Tom. IV, in-12. p. 113 & seq.

(2) Querceian. Diæteticon Polyhist. p. 51.

(3) Kemper. de Valvul. p. 25.

(4) Rhod. Obs. 5, lib. 1.

(5) Boerh. de Morb. nerv. p. 553. Sanctor. sect. 7, n°. 1.

quasi ignis per vasa artuum fluentis, facit. Menses ante diem excitatos fuisse asserit Haller (1).

Lætitia moderata & purior salubris est affectus, omnes vitales motus incitat, perspirationem auget, in morbis convalescentiam adjuvat, novis quasi cordi viribus additis. A lætitiâ vita longa sustinetur.

I I I

DIVERSUM omninò effectum producunt lenta seu tristia animi pathemata. Mœror vel tristitia frangit motum cordis, ità ut suspiriis necesse sit transitum per pulmonem expedire, tollit appetitum, vires, perspirationem, mensesque minuit (2), aperit poros ad recipiendum pestis miasma; pallorem & ædema inducit; ad schirros & cancros disponit, morborum putridorum & malignorum causa est (3). Major si evaserit, palpitationem ciet, pulsus inæquales, in utroque brachio dissimiles (4) reddit, gangrenas in vulneribus (5), amaurosim accersit, denique occidit brevi aut subitò. Adeò vehemens animo inhæret, ut narcoticis etiam validissimis quandoque superari nequeat (6). Nostalgia mœroris genus ægros sensim consumit, & paululùm destruit, nonnunquam in rigorem, maniam vel in febres lentas abit.

Metus multa similia facit, pulsum imminuit, canitiem subitam producit, sanguinis motum sedans, hæmorragias, menses (7) & perspirationem supprimit, vulnera reddit lætalia, morbos funestos producit, ventriculi & intestinorum vires debilitat. Denique musculorum motum delet, ita ut præ tremore fugere non liceat; hinc paralysis, amaurosis, aphonia, melancholia (8) durabilis, amentia diuturna, epilepsia (9).

(1) Elem. Physiol. Tom. V, lib. XVII, sect. 2.

(2) Mercurialis Morb. Mulier. lib. IV.

(3) Baglivi Prax. Med. lib. IV.

(4) Morgagni de Sed. & caus. Morb. T. I, p. 254.

(5) Dionis Operat. de Chirurg. p. 472.

(6) Young opium, p. 28.

(7) Baglivi, p. 537.

(8) Tulp. lib. IV, cap. 54.

(9) Boerh. Morb. nerv. p. 801. Van-Swieten, Tom. 3, p. 393. Journ. Med. an. 1683.

Magnus metus mortem nonnumquam intulit. Mortuus est, cui mortis sententia pronunciata fuerat, ut fert Schenkius.

Eodem ferè modo agit attentio, omnes suspendit suspendit vel saltem imminuit secretiones; qui calculos difficiles obvolvunt, vix respirare audent, ne peregrina sensatio necessariam ideæ constantiam interrumpat, hinc qui pertinaci & diuturno studio operam navare solent; variis morbis scilicet epilepsiæ, anevrismatibus aortæ, palpitationibus cordis, malis digestionibus, &c. obnoxii fiunt.

I V.

IMAGINATIONEM in physicum agere abundè liquet ex anteà dictis, nunc probandum incumbit physicum in imaginationem ipsam vicissìm agere; enim verò corpus tali vel tali modo mutatum mirabiles effectus producere neminem fugit. Magnetismus animalis qui superioribus annis tot animos suspensos & hærentes tenuit, est inconcussa imaginationis aberrationum probatio, illius auctoris historiam hic exarare supervacaneum foret, norunt omnes hunc Medici personæ callidissimum simulatorem Vindobonæ natum condidisse systema in quo asserit ad se ipsum appellare à lunâ fluidum quoddam, vi cujus sanitatem ægris omnibus restituere se posse jactitat.

Doctrina hæc jam antiquata auctorem agnoscit quemdam germanum Maxwel qui labente, ni fallor, sœculo XVI degebat. Flud hibernus natione eadem deliramenta jam pepererat.

Eorum systema innovandi prurigine detentus denuò in tenebris eduxit Mesmerus.

Imaginationem magno rerum apparatu, extraordinariis agendi modis, multis promissis, musice, variis digitorum motibus, &c. occupare studet.

Omnibus compertum est quàm facile sit imaginationem hippochondriacorum atque nervosorum extollere.

In his sensus exquisitissimus est ex minimo vulnere, vel animi affectionibus nervorum distensione, per universum corpus oriuntur. Hujusce farinæ ægrotantes, nulla sanationis spe affulgente, blateronibus sanitatem promittentibus confidunt. Aliquo tempore decipiuntur. Ast moxmox vana eorum spes in aëra avolat cum promissorum hiatu (1).

(1) Multos & multiformes imaginationis errabundæ effectus legere est in libro cui titulus: *Rapport des Commissaires chargés par le Roi de l'examen du Magnetisme animal.*

Neminem fugit quantùm ebrietas, pubertas, graviditas, clima, victus, aliique illius generis corporei stimuli in mores valeant.

1°. Ebrietas mansuetum & mitem ferum hominem & inhumanum quandoque reddit. A vino, à febribus celeriùs ideæ repræsentantur, & efficaciùs, & ideò à corpore ingenium pendere videtur. Anima tamen semper est quæ ideas comparat.

2°. Pubertatis tempore succedit novus ordo rerum in utroque sexu. Validius fit corpus, evolvuntur intellectûs facultates, firmior cogitandi methodus: jam non ampliùs placent quæ anteà delectabant, in puellis sororiantur mammæ, animi passiones vividiores fiunt, erumpunt menstrua quæ fœcunditatem indicant, &c.

3°. Graviditas mutationes innumeras in corpore producit, quædam gravidæ mulieres non raro incidunt in maniam quæ in partum usque protrahitur, aliæ absurda appetunt, imò quandòque stercora desiderant, & cum appetitu ea devorare deprehenduntur. Quædam Boulimio aliæ inapetentiâ laborant.

4°. Clima. Vividi, agiles salaces sunt populi propriore sole ferventes, illis prompta loquela, fertile, perspicax, poeticum ingenium, vehementiora denique omnia animi pathemata. Minùs prompti, minùs sensibiles, robustiores, & magis bellicosi populi polis viciniores, longior eis animi contentio, judicium rectius, constantia diuturnior, audacia major.

5°. Victus. Viribus & ferociâ pollent qui cibos digestu difficiles, carnes animalium edunt, qui spirituosos liquores hauriunt: carnibus crudis vescitur, perpetuò venatur immitis & robustus Tartarus. Vegetabilibus pascitur, aquâ sitim sedat, vitam placidam & otiosam ducit mansuetus & imbellis Brama, &c. &c.

V.

MEDICO se se accingenti ad moderanda animi pathemata, & ad sedandam imaginanationem generalis indicatio hæc adimplenda incumbit, scilicet ut vividiora, quantum fieri poterit, tristibus & reciprocè opponat, omne ferret punctum, qui unum alii v. g. spem metui, mœrori gaudium substituere perfectè calleret.

Ab imaginatione phantasmata pro veris rerum speciebus suppeditante pendent

omnia mala ex pathematibus oriunda, ità fummum medicationis fcopum attingeret, qui illam frænare & dirigere, qui illius errores tollere, veritatifque prævià face fugare noverit.

Mœrori & metui opitulantur conditio miferantium aliquid ferendum de malo alieno fibi affumentium, confilia amicorum, fortitudinem animo proftrato reddentium, expectatio alicujus boni futuri, perceptio gratarum fenfationum, vifus etiam mali alicujus majoris & conftantiæ patientium. Multùm quoque narcotica prodeffe poffunt, experti manu exhibita.

Noftalgium fpe aliquandiù recreabis, languentem verò & in pejorem ftatum ruentem, folo in patriam reditu falvum facies.

Et dulcem matrem, dulces que revifere natos.

VIRGIL. Æneid.

Territo periculum vitatum effe vel abeffe indigita : terroris veró præteriti effectus debella, fenfus tumultuantes pacificando, fluida torpentia, functiones peremptas, ftimulando. Amoveatur fedulò caufa terroris, & ab oculis ægri prorsùs exulet.

Ira plerumque rationi obfurdefcit, refiftentiâ exercebatur, mollefcit refpondentium manfuetudine; *refponfio mollis* frangit *iram*; illam quoque mitigant excitata opportunè alia animi pathemata.

Pathemata quæ luftravimus, etiam vehementiffima, non femper malis effectibus, exitu funefto horrefcunt nonnunquam è contrà bona magna pepererunt, fic mutis linguam folverunt terror, ira (1); vomicam lethalem expulit rifus immodicus. Imaginatio vanis opinionibus infarcta, gratèque fpe falutis, aut alius boni delufa morbos equidem profligavit, fanitatem accerfivit : ideò ne movendi funt ifti affectus? ideò-ne imaginatio phantafmatibus eft decipienda? Periculofa quidem fæpe alea. Circa eamdem materiem plurima fupereffent dicenda :

Sed jam fumma procul villarum culmina fumant,
Majorefque cadunt altis de montibus umbræ.

VIRG. Eglog. I.

(1) Gaubius de Regimine Mentis, p. 129.

Undè concludere inſtat :

Ergò imaginatio, ſeu homo moralis in phyſicum agere valet & viciſsim.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Matthæus GÉRAUD.
M. Joannes-Joſephus GILLE.

M. Joannes-Jacobus-Hieronim. DUCOS.

M. Antonius-Petrus DEMOURS.
M. Jaannes-Baptiſta-Adrianus ROSE DE L'EPINOY, *Chir. gallico idiom. Prof. deſignatus, in annum 1789 90.*

M. Joſephus-Franc. BOURDIER DE LA MOULIERE, *Phyſiologiæ & Pathologiæ Profeſſor deſignatus in ann. 1789-91.*

M. Simon-Anton. BRINGAUD.
M. Claudius Joſephus GENTIL, *Rei Herb. ann. 1765-66 Prof.*

M. Edmund.-Thomas MOREAU, *Phyſiol. & Pathol. ann. 1760-62, iterùm ann. 1774-76, U. Pharmac. ann. 1770-71 Prof.*

Proponebat Pariſiis CLAUDIUS COUILLEROT DES CHARIERES, Biſuntinenſis, Doctor Medicus Rhemenſis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Auctor.

A. R. S. H. 1788. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1789.